AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sione infirmorum personam sustinuit. prefiguratam illam in corpore suo. quia
inbecilla membra eius. neque enim frustra dictum est. inperfectum meum viderunt oculi tui. et in libro tuo
omnes scribentur. Sic et in loculis habendis. et in exigenda quodammodo annona. non petendo sed
prebendo indigentiam suscepit. Suscepit eum Zacheus. et gaudet. Cui hoc bonum? Christo
an Zacheo? Vere si non susciperet Zacheus. non erat unde maneret mundi fabricator? Aut
si non pasceret Zacheus. indigeret ille qui de quinque panibus tot milia hominum saturavit.
Cui ergo quisque sanctum suscepit. non suscepto sed susceptori prestatur. Numquid in illa fame non pasce-
batur helyas? Nonne corvus afferebat panem et carnem servo dei. serviente creatura.
Missus est tamen pascendus ad viduam. non ut nutriri. sed ut puuntiali aliquid prestaretur. Ergo et
dicebamus fratres. et de pascendis pauperibus cum dominus loculos haberet. tamen quando dixit iude
eum tradituro quod facis fac velocius. non intelligentes ceteri quid dixisset. arbitrati sunt eum
dixisse ut aliquid prepararet quod daretur pauperibus; Ille enim loculos habebat. Hoc in ev-
angelio scriptum est. Posset hoc suspicari. nisi hoc haberet in consuetudine dominus? De his ergo que
dabantur. et in loculos mittebantur. dabatur tamen et illis pauperibus; quos deus docuit non contem-
nendos. Sed si illum non contempnis. quanto magis bovem per quem trituratur hec area.
Quanto magis servum tuum? Non indiget cibo. forte veste indiget. Non indiget
veste. forte tecto indiget. Forte ecclesiam fabricat. forte aliquid in domo dei utile mo-
litur. et expectat ut intendas. expectat ut intelligas super egenum et pauperem. Tu contra
terra dura. lapidea. non irrigata. aut frustra irrigata. servas tibi dicere. Non sciebam. non
noveram. nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere. prophete non cessant dicere. be-
atus qui intelligit super egenum et pauperem. Non vides archam inanem propositi tui. vides
certe vel surgentem fabricam. quo intraturus et oraturus es. Nonne admonentur ocu-
li tui? Nisi forte putatis fratres quia propositum vestrum thesaurizabat. Novimus
multos non thesaurizare. et ad cottidiana egere. de quibus omnino non cre-
ditur. quos et vos inveniretis si vellectis. si circumspiceretis. si ad hoc vigila-
retis. ut fructum daretis. Dixi ut potui. quantum potui. Puto autem manifestos nos
esse vobis sicut ait apostolus non ideo nos dicere. ut in nos ista faciatis. Prestet hoc deus ut hec
non frustra dixerim. prestet hoc deus ut terra irrigata sitis. non lapidea sicut iudeorum. unde
tabulas lapideas accipere meruerunt. sed terra fructifera. terra que irrigata fructum red-
dit agricole. Illi ipsi corde lapideo quod significatum est lapideis tabulis. decimas dabant.
Et iam gemite. et nichil huc exeat. Si gemitis. parturite. si parturitis. parite. Quare
gemitus inanis? Quare gemit sterilis? Viscera torquentur. An non est unde edatur? Rigans
montes de superioribus suis. de fructu operum tuorum satiabitur terra. Beati qui faciunt. be-
ati qui ista fructuose audiunt. beati qui non inaniter clamant. de fructu operum tuorum saciabitur
terra. producens fenum iumentis. et herbam servituti hominum. Et quid hoc? Ut educat
panem de terra. Quem panem? Christum. De qua terra? De petro. de paulo. de ceteris dis-